



**De lino fugae praesidio**

Haec fabula, a quadam avia narrata, in Latinum conversa est a Joanne Carolo Rossi.

Herodes rex a Magis admonitus nuper natum esse in Iudaea filium Dei, qui hominum rex futurus erat, omnes infantes Iudaeorum interfici iussit. Ab Angelo de prava Herodis voluntate certior factus, Iosephus ex Iudaea cum Maria et parvulo Iesu fugere statuit.

Fugerunt igitur ad Aegyptum. Iosephus pedibus incedebat, Maria divinum ferens infantem asello vehebatur.

Improviso, dum iter faciunt, equites post se accurrentes audiverunt, quos putant ab Herode missos esse.

Iosephus se suosque celare volebat, sed illic via arbustis densis ac spinosis erat saepta, quae penetrari non poterant.

Audiens equites appropinquare, gradum accelerat ed ad locum pervenit, ubi juxta viam non arbusta spinosa sed nuda saxa videt, inter quae nemo se celare poterat.

Properat festinat accelerat, equites jam jam adsunt, Iosephus metu percussus asellum e via in pratium adiacens trahit, quum – mirabile visu! – tenera et mollis herba, qua pratium vestitum est, improvise succrescit et densior fit et Iosepho Maria aselloque altior. Itaque equites regii eos non viderunt! Ex eo die herba, qua sacra familia cum asello operta est, semper in illam altitudinem crevit. Linum “usitatissimum” vocatur,<sup>1</sup> quia ex eo tela texere, funes nectere, oleum exprimere, farinam facere solent homines. Lini flores pulcherrimi sunt et colore caeruleo nitentes, ut oculi Iesu infantis.

---

<sup>1</sup> Linnaeus, *Species plantarum* (1753), t. I, p. 273.